

B



EXERCITATIO
M E D I C A
DECIMASEXTA:

*In almâ Argentoratensium Aca-
demiâ proposita:*

PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO
juniore, Doctore ac Pro-
fessore Medico:

Respondente
M. IOH. NICOLAO FVRICHIO
Argentinensi, P. L.

ARGENTORATI,
Typis exscribebat Joannes Andrea.

Anno M. DC. XXIII.



Amplissimis Consultissimisq;
Viris,

Dn. MARTINO OSCHWALDO } Fratibus Germa-
D. U. J. & } nis & Reipubl.
Dn. BARTHOLOMÆO OSCH- } Scaph. Assessoribus prudentiss.,
WALDO, }

Ut &

Experientissimo & Doctissimo viro,

Dn. ISAACO HABRECHT, U. MED. ET PHIL.
Doct. Felicissimo, acutissimo;

Nec non

Spectatissimo & Honoratissimo viro

Dn. FRIDERICO Secher / CIVI
Argentor. primario:

Tandem

Virtute & Eruditione Ornatissimo

Juveni-viro

Dn. JACOBO KÜGLERO LL. STUD.

Mecænatibus, Patronis,

Fautoribus & amico

observandis

honorandis

Lubens Debens

D.

M. JOH. NICOLAUS
FURICHUS Arg,
P. L.



PROBLEMA I.



N partis vocabulum uno semper eodemque modo accipiatur? De partibus aliquot instituturi ἀσκήσεις, opera pretium videtur, ut, quot modis pars sumatur, explicetur. Ἀνάγκη γάρ, inquit Philosophus I. de caelo c. II. τὴν διάνοιαν ἀορίσως ἔχειν, ἂν τις τῶ διαιρεμένων πολλαχῶς ὡς ἀδιαίρετῳ χρῆται. Ἄδηλον γάρ, κατὰ ποίαν φύσιν αὐτῶ συμβαίνει τὸ λεχθῆν. *Duplicem autem reperimus significationem. Vnam fusam atq; amplam: quâ pro omni eo accipitur, quod totum complet atq; integrat: vel quicquid ad totius completionem aliquid confert: quocumq; tandem modo & ratione illud fiat. Colligitur hac significatio ex Galeno l. I. meth. med. c. 5. estq; Hippocrati & Aristoteli valdè usitata. Etenim Hippocrates l. 6. Epid. sect. 7. scribit, tria constituere corpus nostrum: τὰ ἰσχυρὰ, continentia: h. e. ut Galenus l. I. de diff. febr. c. I. & l. de trem. ac. palpit. c. 5. interpretatur, τὰ στερεὰ, ἢ ξηρὰ μόρια, solidas, sive siccas particulas: τὰ ἐνισχύμενα, contenta: id est, ut idem ibid. declarat, τὰ ὑγρὰ, humores, qui continentur in vasis: & τὰ ὀρμηῶντα, impetum facientia: per qua ibidem τὰ πνεύματα, spiritus intelligit. Hi enim propterea hunc titulum gerunt, quod undiquaq; corpus facile, citraq; impedimentum penetrent. Aristoteles verò l. I. de histor. anim. c. I. partes in similes & dissimiles dispescit: & ad eò latè similes sumit, ut etiam inter illas sanguinem, ichorum, adipem, medullam, fel, lac, pituitam, pilos, ungues, aliâq; multa corpora partim in hominibus, partim verò in brutis extantia, recenset. Quod ipsum quoq; l. 2. de part. an. c. 2. & alibi facit. Galenus hac quoq; significatione utitur I. us. part. I. cum inquit, partem esse corpus, quod nec undiquaq; circumscriptionem habet propriâ: nec undiquaq; conjunctum est aliis. Alteram pressam atque strictam: quo modo Fernelius l. 2. φυσιολ. c. 2. partem definit corpus toti coherens, communiq; vitâ conjunctum, & ad illius*

functionem usumve comparatum. Habet autem pars propriè & specificè dicta conditiones & requisita sequentia. I. ratione materiæ corpus est ex semine, vel ex sanguine materno, vel ex utroque principio genitum. II. ratione formæ corpus est stabile & firmum, & quidem animatum, quod propriam habet circumscriptionem & figuram, certumq; accretionis terminum III. ratione causæ efficientis corpus est à facultate plasticâ in utero materno primâ in conformatione factum. IV. ratione finis corpus est, per quod anima est efficax: seu quod est ad functionem totius corporis usumve comparatum.

I I.

Utrum similes partes concedendæ sint necne? Novatores quidam has eliminare ex scholis Medicorum contendunt: hac persuasione, quòd corpora sint ex 4. elementis conflata. Fiunt enim inquit Galenus I. de elem. c. 8. ex humoribus: humores ex alimentis: alimenta ex elementis generantur. Verum ineptos istos Miluos, qui toti Philosophorum & Medicorum choro obstrepunt atque obclangunt, nihil moramur. Dividit sanè princeps sapientum I. I. de hist. an. c. I. partes animalium in ἀνομοιογενῆς καὶ ομοιογενῆς. Illas dicit in similes sibi particulas secari: ut carnem in carnes: ac propterea ομοιογενῆς, similes, appellari: has in dissimiles: ut manum in carnes, ossa, nervos, &c: & idèò vocari ἀνομοιογενῆς, dissimiles: quòd scil. ex particulis constent diversa natura atque essentia. Aristoteli subscribit Galenus I. I. meth. med. c. 6. ubi docet, partes similes esse, quæ undiq; in similes dividuntur: vel, ut I. de inæq. intemper. c. 2. habet, quæ in partes specie differentes secari nequeunt: aut, ut I. 8. de plac. Hipp. & Plat. c. 4. loquitur, quarum omnes particule tum sibi mutuo, tum toti sunt similes. Vnde etiam varios acquisiverunt titulos. Plato siquidè eas πρώτογενῆς μέρη, partes primogeneas, nuntupat: sic referente Galeno com. I. in I. Hipp. de Nat. hum. in proœm. & I. quod an. mor. corp. sequantur temperat. c. 3. quòd scil. naturâ primæ sint: primâq; generentur. Aristoteles illas nunc ομοιογενῆς, nunc ἀπλῆς, nunc πρώτας nominat: teste eodem Galeno I. 8. de plac. Hipp. & Plat. c. 4. nimirum quia ubiq; sibi similes: & quia
ex alijs

ex alijs non composita: & quia constituunt eas, quas compositas & organicas vocare solemus: v.g. digitos, manum totam, cubitum totum, totum brachium: & quae his respondent in cruribus digitos, pedem, tibiā, & femur. Galenus eas propria hominis elementa appellat: l. 2. de elem. c. 1. Item σεπέα μόρια, καὶ σοιχεῖα ὄν, partes solidas & elementares, l. 1. de nat. fac. tum quia principiam sunt organicarum: tum quia spermatica. Spermaticas enim proprie à Galeno solidas vocari, patet ex l. 11. meth. med. c. 1. & 7. & l. 1. de sem. c. 16. Adhuc σοιχεῖα αἰσθητὰ: l. 1. de elem. quoniam ad sensum simplicissima apparent: & elementorum instar organicas cōstituunt. Insuper ἐλάχιστα σοιχεῖα: quia sunt prima & simplicissima: auctore cod. l. de inaeq. intemper. c. 2. & in partes alias τῶ ἑδὲ διαφερέσας dividi non possunt. Deniq; πρῶται καὶ τελευταῖαι, ἑσχαται, prima & ultima. Prima ratione συνθέσεως: quia corpus organicū ex illis primò componitur. Ultima respectu ἀναλύσεως: quoniam in eas ultimò secundum sensum resolvitur. Neoterici ὁμογενεῖς illas nuncupant: quòd ejusdem sint generis, h. e. nature atq; essentia cum toto. Quapropter cum in corpore nostro ejusmodi partes reperiantur, quae ex alijs diverse speciei secundum sensum non sint composita, neq; in eas divisibiles: quis quaso de similarium existentia dubitabit? Reperiri autem tales, Galen. loc. cit. exemplo carniū, tum musculosarum, quae fibrosa sunt: tum parenchymaticarum, quae viscera constituunt: osium item, cartilaginum, membranarum, ligamentorū, &c. declarat. Neq; quicquam ratio novatorū concludit. Non enim quaedam partes simpliciter & absolutè simplices & incomposita dicuntur. Cum enim omnes sint copora: & quidem corpora mixta: omnes certè partim ex materia & formā: partim ex elementis sunt coagmentata. Sed tales statuuntur κατὰ τὴν quòd ex alijs partibus specie differentibus actu secundum sensum non sint composita: neq; in eas divisibiles. Hac ratione elementa dicuntur simplicia: non quòd omnis compositionis sint expertia: (constant enim materia & formā:) sed quòd ex alijs simplicibus corporibus, mixtorum in modum, non sint conflata. Hoc quoq; pacto stirpes & fossilia simplicia vocantur, quia mera & sincera, & talia, qualia à naturā fabrefacta: non permistione aliorum adulterata.

III.

An nervi, venæ, atq; arteriæ contineantur in albo partium similarium? Galenus eas similaribus annumerat l. de diff. morb. c. 3. & alibi sæpius. Sed rursus l. de inæqual. intemp. c. 2. negat, venas atq; arterias tales esse: quia ex fibris & membranis sunt compositæ. Idem de nervis sentire videtur l. 7. de plac. Hipp. & Plat. c. 3. ubi scribit, quemlibet nervum triplici constare substantiâ: mediâ & intimâ, arborum medullæ quàm similimâ, quæ haud dubiè à cerebro ortum habet: & exterioribus duabus: alterâ ex tenui: alterâ ex durâ crassâq; meninge natâ. Propterea idem l. 1. de mot. muscul. c. 1. ait, substantiam corporis nervorum perinde se habere, ac si quis sibi stipatum densatumq; ideòq; duriusculum cerebrum imaginaretur. Cum ergo nervi ex medullari & membranosa substantiâ constent: id quod tamen omnium evidentissimè in nervis apparet opticis: rectè concludi videtur, eos pro partibus similaribus haberi non posse. Verum facilis est Galeni locorū conciliatio. Duplices enim sunt similes: alia re verbòq; tales: in quibus neq; ratio dissimilitudinem aliquam partium, quæ specifica sit, animadvertit: ut ossa, membrana, cartilagines, ligamenta, caro, &c: alia tales tantum iudicio sensus: quia primo obtutu intuentibus nobis earum substantia uniusmodi videtur: ut venæ, nervi, & arteria. Vbi igitur Galenus hasce particulas inter ὁμοιογενῆς recenset, ibi ad sensum magis, quàm ad rei naturam respicit. Vbi verò eas è numero illarum excludit, ibi rei potius naturam, quàm sensus iudicium considerat. Dices, ne sensus quidem iudicio nervos, venas atq; arterias simplices esse. Videt enim oculi in nervis substantiam geminam: medullosam interiorem, & membranosa exteriorè. Cernunt in venis atq; arterijs fibras & tunicas. Respondemus, sensum in solis nervis opticis dissimilitudinem substantiarum discernere: in reliquis non item. Erunt ergo isti similes ὁμοιογενῆς: optici dissimilaribus annumerabuntur. Venæ atq; arteriæ cum intuentibus nobis simplices occurrant: nec partium in ijs animadvertatur diversitas: nisi accurata admodum, & exquisita, valdeq; subtilis instituaturs sectio, totaq; earum substantia lynceis inspiciatur oculis, itidem locum suum inter simplices particulas tuentur.

Rectene

IV.

Recte ne definiantur similes partes illæ, quarum omnes portiones ejusdem invicem speciei sunt: vel quarum omnes particule ejusdem speciei cum toto existunt? *Dicitur jam fuit, duo esse similarium genera: alterum revera tale: alterum tantum iudicio sensus. Cum autem definitio proposita primum solum genus complectatur: patet, eam definito suo angustiore esse. Itaque rectius definiuntur corpora, quæ πρὸς αἰσθητικὴν sunt ἀπλᾶ. Ita enim eas Gal. l. de opt. hum. corp. constitut. definit. Ita quoque utrumque similarium genus explicatur. Nam sive revera similes: sive sensus tantum iudicio similes perpendas, tales eas esse deprehendes, quarum singula portiones ad sensum simplices & in composita dici possint.*

V.

Quæ similarium partium differentia? *Varia & multiplices: eaque a materia, forma, & sine, sive usu desumpta. Ratione materiae vel spermaticae sunt: quæ immediate ex semine crasso generantur: & in adultis natâ πρῶτον σκοπῶν nunquam coalescunt divisæ: ut os, cartilago, membrana, ligamentum, fibra, nervus, vena, arteria: vel sanguinea: quæ immediate ex sanguine fiunt: ut caro musculorum, quæ fibrosa: caro viscerum, quæ parenchymatica: caro glandularum, quæ glandulosa nuncupatur. Ratione formæ accidentalis variant in colore & qualitatibus tactilibus, tum primis, tum secundis. Etenim in colore vel albae sunt, ut spermaticae: vel rubrae, ut sanguineae. In qualitatibus primis alia frigida & sicca: ut iterum spermaticae: alia calida & humida: ut sanguineae, quæ carnosae. In secundis quaedam sunt molles: quaedam duræ: quaedam densae: quaedam raræ: quaedam contralæves. Ratione finis & usus: alia communes sunt: quæ plures & dissimilis naturæ compositas partes constituunt: ut modo dictæ: alia propria: quæ unius tantum partis substantiam, qualem alibi nullam reperias complent: ut medulla cerebri: medulla dorsalis: corpus fungosum & spongiosum linguae: parenchyma pulmonum, cordis, hepatis, lienis, renum, & propria ventriculi, intestinorum, uteri, vesicae, gulae, aliarumque partium substantia. Differunt etiam usibus & officiis alijs. Venae enim v.g. sanales sunt, per quos sanguis alimentarius ex hepate derivatur*
in totum

in totum corpus. Arteria tubi sunt, sanguinem vitalem in idem diffundentes ex corde. Nervi vectores sunt spiritum animalē à cerebro sibi communicatum motus & sensus gratiā partibus suggerentes. Caro fibrosa princeps organum est voluntarij motus. Ligamentum vinculum est, cuius ministerio pars parti connectitur. Membrana tegumentum est, sive vestis & tunica, qua pars aliqua ab alterā separatur, & custoditur. Ossa secundum Hippocratem l. de nat. ossium corpori stabilitatem, rectitudinem, & formam, sive figuram conferunt. Sunt quoq; multis partibus instar propugnaculorum: faciuntq; ut muscoli commodè exoriri, & firmiter implantari queant. Adhuc multas utiles & necessarias cavitates formant: & vasa multa, multosq; musculos fulciunt. Cartilaginee articularum secundum Aristotelem l. 2. part. an. c. 9. veluti lectisternia sunt, ne mutuo attritu ladantur. Faciunt ergo politā & levi suā substantiā tum ad facilitatem, tum ad securitatem motus. Multos etiam alios praestant usus: quemadmodum ex peculiari earum διαφορά liquet: & sic de ceteris.

VI.

Utrum ungues partes sint corporis, & similaribus annumerari debeant necne? Partes esse, & quidē haud longē à cartilaginibus alienas, auctor est Aristot. l. 2. part. an. c. 9. & l. 3. hist. an. c. 8. cuius auctoritate forsitan motus D. Platerus eos pro cartilaginibus habet in anatomicis. Galenus similiter illis inter partes locum dat, l. 2. de temper. c. 3. & l. 2. de anat. ad. c. 11. Libro verò de inæq. intemper. c. 2. eos inter similes reponit. Sunt enim singula illorum portiones unius ejusdemq; naturæ. Ratio quoq; probare videtur, partes esse. I. quia faciunt ad completionem totius. Propterea naturaliter omnibus insunt hominibus. II. quia augentur & crescunt: velut Aristot. 3. hist. an. II. & Galen. l. 1. us. part. c. 11. monstrant. III. quia habent actionem: apprehensionem scil. exiguorum corporum: ut colligitur ex Gal. l. 1. us. part. 10. IV. quia affectus patiuntur p. n. Incurvantur, enim livent, leprosi fiunt, scabie laborant, putrescunt, &c: quemadmodum patet ex pharmaceuticis Galeni & Dioscoridis monumentis, in quibus varia remedia cōtra hos affectus proponuntur. Nos in latā significatione ungues partes, & quidē similes esse concedimus: in præsa autem nequaquam. Rationes sunt istæ. I. quia etiam in defunctis crescunt: teste Avicenna in suspensis. & Aristot. 3. hist. an. II. quia etiam in senectute & phibet augmentum capiunt: cum partes aliæ tabescant. III. quia præcisi infinities renascuntur: contra morem aliarum partium spermaticarum: ut videre est ex Hipp. aphor. 19. s. 6. & Arist. l. 3. hist. an. c. 8. IV. quia propriam figuram & circumscriptionem non habent: sed quam habent, eam ab aliis sibi contiguis mutuantur. V. quia ex recrementis tertia concoctionis oriuntur: crassis scil. glutinosissq; humoribus à calore siccatis: auctore Hipp. l. de Carnibus. Contrarias rationes refutavimus in comm. aphor. 20. libelli Hipp. περί τροφής.

F I N I S.

01 A 6570


ULB Halle 3
002 937 867



12

6017





Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
B.I.G.

Farbkarte #13



TATIO
I C A
EXTA:
atensium Aca-
posita:
DE
SEBIZIO
ore ac Pro-
dico:
te
O FVRICHIO
i, P. L.
ORATI,
annes Andree.
XXIII.

2

